

1. CATASETUM Richard *). Humb. et Kunth. Synops. Pl. Vol. I.
p. 350.

Gynandria Diandria Lin. — Ord. nat. *Orchideae*.

Char. ess. Calix resupinatus; foliola 5 subaequalia; labellum saccato-concavum. Gynostemium bicorne; cornua retrorsa, filiformia, arcuato-conniventia. Anthera operculata, gynostemio interne infra apicem attenuato-subulatum insidens. Pollinis massae duae, membrana, in pedicellum communem demum convoluta, suffultae.

Catasetum purum.

C. foliolis calicinis duobus inferioribus obsolete punctatis, labello immaculato ciliato.

Habitat in *Brasilia*. Perenne. — Floruit Aprili et Maio mensibus in Caldario.

Descr. Parasiticum. Bulbus oblongus, $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ pollices crassus, $5\frac{1}{2}$ — 8 pollices longus, virescens, inferne vaginarum residuis pallidis striatis notatus et subannulatus, apicem versus vaginis latis membranaceis aphyllis equitantibus obvolutus; latere semel innovans. Folia ex apice bulbi 2 — 3, 8 — 9 pollices longa, elongato-lanceolata, flaccida, nervoso-striata, sub

*) Nomen *Catasetum*, e voce graeca *κατὰ* et latina «seta» compositum, (nisi melior etymologia nos lateat), viris peritis vix commendabitur. Rectius forte *Catachaetium* scriberes, sed *χαττήεις*, setosus, aliam terminationem poscit.

tempus florescentiae apice emarcida. Scapus e bulbi basi subterranea contracta oriundus eiusdemque longitudinis, erectus, teretiusculus, glaber, subundatus, basin versus vaginis 2 — 5 remotiusculis ovatis obtusis amplexicaulibus membranaceis aphyllis praeditus, apice floriferus. Flores 5 — 6, magni, cernui, virides, odoris aromatici debilis, pedunculati. Pedunculi firmi, erecti, subcorymbosi, compresso-trigoni, glabri, flore dimidio longiores. Bractea sub singulo flore solitaria, triangularis, acuta, viridis, margine membranaceo, pedunculo multo brevior. Calix deorsum spectans: foliola subconniventia; tria exteriora angustiora, elliptica, obtusa, integerrima, viridia, nervoso-striata; duo interiora ovata, exterioribus colore et structura similia, sed basi utrinque obsolete fusco punctata margineque hinc inde denticulata. Labellum erectum, amplum, fornicatum, crassum, margine inferne denticulato-ciliatum, extus laeve virens, interne rugulosum viridi-flavum, gynostemii cornua occultans. Gynostemium inferum, rectum, naviculare, in floribus inferioribus apice subulatum, processu superne excavato et carina media obtusa in duos canales diviso; in superioribus brevi retusoque ungue terminatum, viride, ex utroque latere stigmatis cornu praeditum. Cornua longitudine fere labelli, in cuius fornice ascendunt, subulata, membranacea, complicato-canaliculata, pallide viridia. Anthera operculata, gynostemio infra apicem canaliculato-concavum inserta; operculum ovato-subulatum, (in superioribus subtruncatum,) gynostemii apici applicatum, parte latiori deorsum convoluta emarginata, supra viridi, subtus, ubi margines inflectuntur, flava. Massae pollinis duae, divergentes, oblongae, obtusae, sursum convolutae, ceraceae, luteae, membranae communi, stigma velanti, basi dilatato-glutinosae et huius glutinis adminiculo foveae profundae gynostemii, sub stigmate excavatae, inhaerenti, adnatae, quae membrana demum, parte inferiori glutinosa e fundo foveae soluta, libere erigitur et eum in modum convolvitur, ut stipitem antherarum membranaceum canaliculatumque exhibeat. Stigma obtuse triangulare, magnum, primum membrana pollinifera vestitum virescens, demum denudatum fuscescens. Fovea nectarifera profunda sub stigmate descendit. Germen inferum, obsoletum, in pedunculi apicem abiens.

Observ. Fatemur, per nobis simile videri *Catasetum maculatum* H. et K., l. c. p. 551 descriptum; nolimus tamen coniungere, considerando:

- 1) huic tribui folia lanceolato-oblonga, subtripollicaria, quae lanceolato-elongata in nostris, 6 — 7 pollices saltem metiuntur;
- 2) calicis foliola duo exteriora cornuum in modum patentia, quae connivent in nostra;
- 5) duo autem interiora foliola calicis nigro-maculata, quae vix conspicuis punctis notata prodeunt in *Cataseto puro*;
- 4) labellum intus rubro maculatum in nostra non reperiri, sed colore luteo pingui nitere in cavitate interiori.

Cultura. Planta haec, cum paterno solo vel in arborum truncis putrescentibus vel etiam inter folia surculosque putredine dissolutos crescere videatur, difficilius ea quidem, ut aliae quoque eiusdem generis, in hortis nostris colitur, neque arte naturam imitari arborumque truncis in caldario inserere plantam, tametsi aliquando prospere id succedat, utile semper duxerim, praesertim ubi speciem aliquam, per se quidem raram, deficiente adhuc sobole infelici perdere experimento timeas. Quem in finem, ut aliqua saltem parte simile loco natali solum memorabili huic speciei pararetur, testam, in quam deponenda erat, ad pollicis altitudinem cortice comminuto *) implevimus, instrataque huic cortici ad parem altitudinem humo crassiori, e ligno et foliis orta, quod reliquum erat testae cortice circum applicato penitus conteximus, quo facto denique bulbus in humo, e foliis parata arenaque tenui mixta, pangebatur; placuit etiam, terrae superficiem omnem operire cortice. In irrigando solo summa cura vitandum, ne nimium aquae imbibat, praesertim post folia deiecta, quo tempore planta haec rigatione immodica maxime laeditur. Locum per totum annum eidem legimus in caldarii fortioris cortice coriario, et eum vero soli minus expositum. Propagare si velis, ad bulbos, e latere adultioris ascendentes, recurrendum erit, qui nudi quidem nullaque testa adhibita, in cortice

*) *Ulmis suberosae* corticem ad id plurimi esse ducebamus.

calefacto defossi, cum tempore germinabunt. Et haec quidem sola propagationis via est, quam ad hunc diem cognovimus. Plura docebit dies. S.

Explicatio iconum. Tab. I.

- A. Catasetum purum* magnitudine naturali.
- a.* Foliolum calicis interius magnitudine naturali.
 - b.* Labellum, in medio dissectum, cum gynostemio integro, demta anthera, a latere conspectum, magnitudine naturali.
 - c.* Gynostemium bicornae, integrum, anthera, calice et labello solutis, a parte superiori visum, magnitudine naturali.
 - d. e.* Idem, demto operculo, sed massis pollineis cum fulcro relictis: *d.* a fronte, *e.* a latere dissectum.
 - f.* Gynostemium floris superioris cum operculo, a fronte visum.
 - g.* Operculum eiusdem, a parte inferiori visum, cum massis pollineis.
 - h.* Operculum floris inferioris magnitudine naturali.
 - i.* Idem, magnitudine aucta, a latere inferiori.
 - k.* Idem, magnitudine aucta, a latere superiori visum.
 - l.* Operculum floris superioris exterius magnitudine naturali.
 - m.* Idem, magnitudine auctum, a tergo visum.
 - n.* Massae pollinis cum pedicello convoluto, a latere inferiori, magnitudine nat.
 - o.* Eaedem auctae, ab eodem latere.
 - p.* Eaedem auctae, a tergo spectandae.
 - q.* Eaedem pedicello explanato, magnitudine aucta.
 - r.* Massa pollinis, transversim dissecta, magnitudine aucta.

LECANOCARPUS. *)

Class. Lin. Monandria (vel Diandria) Monogynia. — Ord. nat.
Amaranthaceae.

Char. ess. Flos hermaphroditus. Calix pentaphyllus, herbaceus. Corolla nulla. Stamina 1-2, foliolis calicis opposita, antheris didymis. Stylus simplex, persistens, stigmatibus duobus. Cystis orbicularis, depressa, marginata. Semen unum, horizontale.

Char. nat. Calix inferus, pentaphyllus, erecto-patulus, foliolis aequalibus ovatis obtusis dorso viridibus margine albo-membranaceis. Corolla nul-

*) *λεκάνη*, *λεκάνιον*, patella, et *καρπός*, fructus.